QUÆDAM DE OVARIORUM MORBIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS-PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICA-GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI DEFERANTUR,
DIE XV. M. APRILIS A. MDCCCXXIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

GUSTAVUS ADOLPHUS SPITTA
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

F. PÜLLENBERG, *MED. ET CHIR. DR.*
F. SCHIELE, *MED. ET CHIR. DD.*
J. KOPS, *MED. ET CHIR. CAND.*

ACCEDIT TABULA LYTHOGRAPHICA.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO ET

BENIGNISSIMO

AUGUSTO SPITTA

AD OBITUM USQUE COLENDO

HASCE QUALESCUNQUE PAGELLAS

SUMMAE PIETATIS

GRATISSIMIQUE ANIMI SIGNUM

D. D. D.

FILIUS.

Procœmium.

Diu mihi haesitanti, quidnam, ut legi academicae satisfaciam, disserendi argumentum seligerem, haud multa visa sunt apta; quum bene sciam, tot tantaque, in toto artis medicae ambitu, a doctissimis viris esse scripta, in qua equidem tantummodo tiro, atque experientiae luce prorsus fere destitutus, nova et inaudita proferre vix crediderim.

Eo libentius igitur consilium, ab illustrissimo Kluge, directore caritatis nosocomii, in quo medici inferioris muneribus, per annum functus sum, mihi oblatum suscepi, anatomico-pathologicam observationem, de puella, in caritatis nosocomio defuncta, reddere. Quum vero puella ista, paucos modo dies in hoc nosocomio sit versata, ejusque priorem vitam non satis cognitam habuerim, morbi historiam tantummodo imperfectam referre possum, quod in malam partem non accipias, benevole lector, peto quaesoque.

Priusquam autem ad ipsam morbi historiam, qui ovariorum aliquod vitium potissimum amplexus est, aggrediar tractandam, de ovariorum vitiis, quantum pro dissertatiunculae hujus volumine fieri poterat, in medium proferre liceat.

Inter omnia sexus feminei organa, degenerationes ac destructiones ovariorum creberrime inveniuntur, quod bene elucet, si perpendimus, nullius morbi reliquias toties tamque miras ante oculos venire, quam ovariorum degenerationes. — Perpetuus, horum organorum, in statu sano producendi nisus, in morboso quoque statu, per totum tempus, quo femina concipere potest, non interit, atque in pathologicam aliquam transit vitalitatem, quae pari modo nil nisi pathologica proceare potest producta. —

Ovaria aeque ac tubae, complurium quidem uteri morborum partem habent — animadvertimus enim, in metritide simul ovaria esse inflammata, si uterus valde duratus, immo etiam schirrho destructus sit, deinde ovaria quoque statibus morbosis, etiamsi levioribus esse subiecta, denique, si uterus a normali suo situ aberret, ovariorum quoque situs mutetur oportere — attamen peculiares ovariis morbi, iique primarii negari nequeunt, ad quos praecipue referendi mihi esse videntur: Oophoritis, hydrops

ovarii, eiusque degenerationes, ac saepenumero occurrentes substantiae amplificationes. — Ovariorum vitia, si sine gravi corporis damno ferebantur, aegrota defuncta, cultro anatomico demum deteguntur aut, iam in viva, graviora, statum sanum vario modo turbantia animadvertuntur. — Diagnosis ovariorum vitiorum, plurimis in casibus est difficillima, immo etiam impossibilis, ita ut medicus, isque peritissimus, ovariorum tumorem, graviditatem sive hydropem ascitem esse opinatus, facile falli possit. Interdum quidem ex dolore persistente, e ventre eo loco sensim sensimque tumente, ex consensu, et laesa aliorum organorum functione, huiusmodi malum colligere potes, at certum his signis haudquaquam experiaris. Dummodo, crescente malo, ovarium perquam tumescat, atque inaequalis ventris superficies varias reddat eminentias, sive fluctuationem sive duritiem, magis certo vitium illud suspicari possumus. Haud paucis quoque in casibus vitiorum istorum diagnosis magnopere eo sublevatur, ut explorationem internam per vaginam, vel per anum instituamus. —

Caussae ovariorum vitiorum, variis in corpore femineo, occultis morborum fontibus sunt adscribendae, quorum vero praecipui, esse mihi videntur: multiplices stases, in corpore femineo frequentes, laxitas, pressio varia uteri gravidi, ipsa graviditas, partus difficilis et laboriosus, frequentissima

menstruationis nec non lochiorum vitia, varia diaetae vitia, vita sedentaria, atque animi affectus, quos caussam primariam Morgagni 1) his refert verbis:

„Saepe mulieribus, praesertim si cum feminis conferas ceterorum animalium, accidunt testium vitia, tumores praesertim sive hydropici sive alterius generis, ut facilis sit coniectura, pleraque horum non sine culpa affectum animi contingere. Quid enim hi possint in humorum cursu retardando perturbandove non ignotum est etc.“

Quibus ex caussis, prius memoratis satis quoque elucet, in monasteriis, non ovariorum solum sed etiam ceterarum partium genitalium saepenumero contingere vitia.

Sed haec mittentes, ad ovariorum singulos morbos tractandos transeamus.

Oophoritis.

Quamquam negari nequit, omnes ovariorum degenerationes vario existere modo, tamen suspicari oportet, eas crebro esse exitum inflammationum antecedentium. Saepissime invenies, ovariorum inflammationes simul esse coniunctas cum iis partium

---

1) Morgagni, de sedibus et causis morborum, per anatomen indagatis. Epist. anat. med. XXXIX. 38.

vicinarum, et peritonaei, et intestinorum, et uteri, quae magis inflammata, illas obscurant, ita ut a medico interdum plane negligantur. Potissimum deprehenditur haec inflammatio in puellis, quae cuiusque generis indulgent voluptatibus, ac quidem per tempus solum, quo femina concipere potest. — Momenta inflammationum essentialia, aut physica aut psychica sunt. —

a) P h y s i c a: quae vehementes reddunt sanguinis congestiones ac stagnationes in internis genitalium partibus. Ad haec praeprimis sunt referenda: subitae mensium suppressiones, remedia acria, drastica, pellentia, frequens coëundi quasi ardor, graviditate tamen non consequente, perfrigeratio subita, immodicus usus haustuum spirituosorum, cibi acriter conditi, atque huius modi plura. —

b) P s y c h i c a: Quidquid genitalia valde excitat: amor infelix, subito mutata vitae ratio, exempli gratia, si libidines, ac praesertim coëundi desiderium adhuc usque semper satiatum, amplius expleri nequeunt, quo igitur perpetuae cogitationi ad luxuriosas et maximopere libidinosas producendas imagines, eo vastius ac perniciosius datur spatium. —

Diagnosis.

Signa morbi pathognomonica fere eadem sunt, quam in metritide. Haec:

a) Dolor quasi obtusus, in regione, ubi organa ista sita sunt. —

b) Accuratius, magisque assidue partes afflictas explorantes, tumorem aliquem diversae magnitudinis, post coniunctionem ossis ilei cum osse pubis attrectamus. —

c) Symptomata febrilia, sitis, excretio urinae adaucta, lingua alba, alvi obstructio, capitis dolores —

d) Praeprimis sunt afferendae affectiones totius nervorum systematis.

Quum enim oophoritis, una cum coëundi appetitu, nimis intento conveniat, peculiarem aliquam reddit animi affectionem, ac frequentes libidinum enuntiationes, ad nymphomaniam ipsam intensas, ita ut aegrotae in deliria delabantur, in quibus verba impudica saepenumero pronuntiare solent. E sensibilitate ista valde adaucta satis quoque elucent alii nervorum insultus, crebriores syncopae, et spasmi, et convulsiones et huiusmodi alia, quae morbo saepissime adsociantur. — Permagna oophoritidi est similitudo cum metritide, abs qua autem,

illustrissimo Claro auctore, signis, quaesequuntur, bene distingui potest:

a) Locus doloris, in utroque morbo, propter varium organorum affectorum situm varius est. —

b) In metritide, vasorum, in oophoritide nervorum systema magis est affectum. —

c) In metritide exploratio per vaginam, et frequens consensualis mammarum affectio certiores nos reddit.

d) Denique in metritide assimilatio et urinae secretio per consensum magis laeduutur.

Deinde oophoritis, etiamsi non facile cum graviditate extrauterina confundi potest, sed hic graviditatis extrauterinae magis chronicus, oophoritidis vero magis acutus decursus nos satis edocet; ceteroquin in pedisequo graviditatis extrauterinae decursu extra uterum, in loco inusitato foetus motum explorare possumus; Exitus oophoritidis sunt:

a) Resolutio benigna.

b) Suppuratio et gangraena, indeque mors.

c) Morbus in diversas transit ovariorum degenerationes, quod creberrime conspicitur. —

Hydrops ovarii.

Haec vitia, haud raro occurrentia, ad saccatos, quos vocant, hydropes, semper sunt referenda.

Parietes sacci constant ex interna vaste extensa ovarii superficie. — Quum post conceptionem ova-

riorum functio sit, vesiculas fluido (quod initium est omnis formae organicae) impletas producendi, hinc satis elucet, hydropem ovarii tam saepe conspici.

Pari enim modo in ovariis quoque accumulatio humorum aquosorum, primus tanquam gradus diversarum degenerationum habenda est; eandemque ob caussam una cum ovariorum hydropibus, eorum seu steatomata seu scirrhi seu indurationes, seu corpora heterogena, huiusque modi complura saepissime occurrunt.

In initio vitii substantia ovarii in complures extendi solet capsulas, ex albida firmaque membrana compositas, quae intus cellulas continent, aquae plenas, perque aperturas maiores minoresve inter se communicantes. — Cellularum magnitudo est varia; alii cellulas ciceris, alii pugni magnitudine observarunt. Membrana ipsa interdum est tenuis, nonnunquam valde crassa et alba. In decursu mali autem, cellulis diruptis, saccus unicus vastus apparet, quod in eiusmodi longius persistentibus hydropibus crebro deprehenditur.

Fluidum quod in his continetur ovariis, multiplex esse solet; interdum lympha pura observata est; interdum aqua acris, vario colore, turbida, cruenta, subrubra, fusca, pure immixto; interdum nullum spargens odorem, interdum putrida.

Notatu dignum etiam mihi videtur, quod ex

permultis ovoriorum degenerationibus in promtu est, ovarium sinistrum plerumque affici vitiis, quod, Caro illustrissimo auctore, in praevalenti lateris sinistri productivitate caussam habet.

Quum in malo adhuc levi, aegra saepenumero haud gravibus premi soleat molestiis, quae, graviores, tum demum initium capiunt, si malum magnitudine sua deprehenditur, diagnosis difficillime est statuenda. — Crescente autem malo, haec sunt indicia:

Super marginem ossis ilei tumor apparet acriter terminatus, sed mobilis; aegrota plerumque in solo afflictato recubare potest latere, ubi obtusum atque acerbum percipit dolorem; quocum tumor cruris eiusdem lateris, et in tumore movendo, molestiae coniuncta sunt. Rarissime fluctuatio perspicua tumoris sentitur, quoniam eius parietes nimis crassi sunt. Ita tumor pedetentim increscens, totum abdomen postremo implet, tunc in pelvim quasi cuneatus, moveri nequit. Nonnunquam hoc vitium per vaginam quoque explorare possumus, dum in superiore ejus parte durum aliquod ac mobile corpus attrectamus. Portio vaginalis tunc ad hoc latus, ubi vitium versatur, sursum pelli, fundus vero uteri in tumoris contrarium protrudi solet latus. Tum demum molestiae et locales, et consensuales graviores fiunt. Tumore in vicinas partes comprimente, assimilatio et respiratio summopere turbantur. — Aegrotis est parvum tan-

tummodo cibi desiderium, nausea, vomitus, obstructio alvi, asthma permagnum.— Aegra, coenaesthesi omnino ingravescente, faciem sumit cachecticam, animum demissum, tristitiam. — Menses irregulares, leucorrhoea, omnesque exitus cachexiae progressae cernuntur; extremitates tumescunt, et hydrope universale plerumque prorupto, mors sequitur.

Hydrops ovarii cum sequentibus confundi potest statibus:

a) cum graviditate, abs qua vero bene distinguitur, primum eo, ut tardior exoriatur tumor, et longius per tempus super marginem ossis ilei unius tantummodo lateris perduret, deinde satis cognitis portionis vaginalis, ac mammarum commutationibus.

b) Ab hydrope peritonaei, eo itidem disiungitur, ut tumor tardior exsistat, super marginem ossis ilei unius modo lateris.

c) Ab ascite dignoscitur, tumore magis circumscripto, et deficiente maxima ex parte haud perspicua fluctuatione, et serius adveniente functione laesa.

Caussae huius vitii variae sunt:

Quaelibet laesio harum partium mechanica, ictus, pulsus, lapsus in abdomen, gravium ac permagnorum onerum gestatio, tum omnia momenta, quae congestiones vehementes, ad abdominis organa, eoque consensualem reddunt ovariorum irritationem,

exempli gratia, uteri morbi, menses irregulares, frequens coëundi appetitus, graviditate tamen non consequente, effusae in omni intemperantia libidines, denique post priorem, tunc suppressam infectionem syphiliticam, post glandularum intumescentias, eiusmodi alios morbos, in quibus functio vasorum reducentium laeditur. — Nunc ad ovariorum eas transeamus degenerationes, quae copiose contingere solent.

Scirrhi et indurationes.

Frequenter occurrunt haec vitia, absque multis auctoribus huius generis observationes descriptae sunt; praecipue a Loder, Ridley, Lieutaud, Haller, Ludwig, Morgagni. — Ovaria plurimis in casibus admodum erant amplificata, et in albam aliquam duramque mutata massam, quae in nonnullis locis, cellulis membranaceis erat repleta. Non raro evenit quoque in his scirrhis inclinatio ad ossificationes, quae ex Baillie opinione, ab aliis vero ossificationibus, praevalentibus terrarum moleculis dignoscendae esse videantur. Magnitudo ac pondus horum vitiorum varia sunt. Ridley ovarium scirrhosum, triginta septem libras pendens, conspexit.

Steatomata.

Hi tumores saepenumero cernuntur, quorum Riolanus, van den Bosch, Haller, Mor-

gagni, memorabiles reddunt observationes. Morgagni 1) refert exemplum virginis, quae in nosocomium Patavinum excepta, haud paucis auxiliis frustra adhibitis, defuncta est. —

In obductione ibi statim instituta, aliarum partium statibus morbosis exceptis, praecipuum et peculiare vitium in testibus, tubis, ipsoque utero conspexit. Hae enim partes utroque pariter in latere una cum alis vespertilionum inter se coaluerant, ac crassefactae in unam quandam tuberosam, informem, non modicam massam concreverant, quae ex materia fiebat, nihil magis quam semisiccatum sebum referente. Materia illa erat alba, omnino inodora, unguinosa, et specillo immisso, facile cedens. — Huiusmodi alteram observationem van den Bosch refert: Ovarium in molem informem atque ingentem, centum et quinque librarum pondere conversum, rubicundum, carnis fere colore, membrana subtili ac tenui conclusum, compluribus, substantiae corticali cerebri haud dissimilibus subrotundis utebatur gyris, qui plerumque in sebum conversi erant. —

Riolanus atque alii ovariorum steatomata, pugni, et quod excesserit, conspexere magnitudine. —

Signa horum tumorum, maxima ex parte sunt

---

1) Morgagni. — Epistol. XXXVIII. §. 34.

eadem, quam hydropis ovarii, de quibus iam supra verbosius disseruisse videor. Per se intelligitur, fluctuationem in ovariorum hydropibus saepenumero deprehensam, in huiusmodi vitiis non esse explorandam. —

Si accuratius degenerationes supra relatas et graviditates extrauterinas perpendimus, negari nequit, confusiones eo plures hic obvenire, quum horum vitiorum reactio in organismum minor sit, quam illa ovariorum. —

Caussae eaedem sunt, quas iam supra in hydrope et inflammatione ovariorum memoravi, praecipue autem vitae ratio nimis effusa, suppressum coëundi desiderium, onania etc.

Restat adhuc de corporibus heterogenis, in ovariis repertis disserere, quorum principales sunt: ossa, dentes ac pilorum mirus in ovariis proventus. Autenrieth 1) censet, pilos in solis iis inveniri ovariorum degenerationibus, quae ex cellulis constent sebaceis, dentes vero atque ossa in iis tantummodo ovariorum degenerationibus conspici, in quibus pellucida aliqua et fusca gelatina, sive mucus coagulatione incipiente subalbidus ac tenax factus, producentem efficit materiam. — Opinio, pilos in

---

1) Untersuchung ausgearteter Eierstöcke in physiologischer Hinsicht vom Prof. Autenrieth; im Archiv für die Physiologie von Prof. Reil und Autenrieth. Band VII. pag. 260.

steatomaticis tantummodo et sebaceis inveniri tumoribus, Autenriethio auctore, satis superque eo affirmatur, quod capilli, in tota corporis superficie crescentes, pariter ex solis glandulis sebaceis proveniant; eademque opinio, ossa ac dentes, cellulis solum, fluido aliquo gelatinoso impletis inesse, eo probatur, quod omnia ossa normalia, ex cartilaginibus, id est in gelatina condensata, ac dentes in sacculis, gelatina fluida et tenaci repletis formentur. —

Permultae huiusmodi observationes in haud paucis nos offendunt scriptoribus, quos vero hic repetam, inane atque inutile opus acceptum iri persuasum mihi est. Ne igitur materia non nimis iucunda, lecturi defatigarem patientiam, ad ipsam aggrediar morbi historiam. —

Historia morbi.

Eva Schüssler septemdecim annos nata, Sandbergii, quod situm est oppidum ad Herbipolin, in Bavaria, ingenio nimis vehementi fervidoque, corporis constitutione subtili magis quam robusta, a parentibus orta est valentibus, quorum hodie sola mater vita fruitur. —

Solitis infantiae ac iuventutis morbis exceptis, puella, morbos nonnisi minoris momenti ac vehementiae perpessa, plerumque integerrima gavisa

est valetudine. Menstruationis moliminibus prospere superatis, sanguinis menstruationes ipsae, quo anno haud certo scio, provenere, et quamvis molestiam saepenumero ei exhiberent permagnam, attamen quarta quaque hebdomade redibant.

Puellae ab infantia perquam hilari ac laetae, duobus abhinc annis, Berolinum proficiscendi laeta obvenit occasio, quod ad iter, a patruo, tum Sandbergii versanti, excitata est. — Hic ubi pervenit, intra hos annos operas suas multis locavit familiis, ex quibus de eius corporis valetudine, quantum in me fuit accuratissime certior sum factus, primo quo in una degit familia anno, plane nihil accidisse, ex quo morbum inchoantem, immo etiam ne facillimam quidem suspicarere molestiam. — Muneribus sibi impositis, impigra aeque ac prius fungebatur puella animumque hilarem continuo retinuit. —

Ab ineunte vero altero anno saepissime ministeria commutabat; cuius rei corporis molestiam, quae se ostendebat, dum crescens tristitia et hilaritas interdum effusa, alternis venirent, caussam afferrem. Equidem opinor, insequentium eius malorum originem hoc ex tempore esse ducendam.

Siquidem testimonia de morali vitae ratione puellae illius valde abhorrent, eorum maior tamen numerus consentit, cum nonnullis viris magis familiariter eam esse versatam, quod ipsa etiam confessa est, quum in nosocomium caritatis excipiebatur. Ita-

que graviditatis suspicio, quae illo tempore haud paucis iisque gnaris erat hominibus, probata videbatur. Novem enim circa menses ante receptionem in caritatis nosocomium perspicua sese ostendere indicia, quae graviditatis suspicionem necesse erat augeant. — Alvo pedetentim crescente, alia in gravidis ut solent, apparuere indicia, quo pertinent: Cibi appetitus exilis, cum edacitate per vices succedente, nausea, frequens vomitus, praesertim matutinus totius corporis lassitudo, variaeque aliae mutationes. Sanguinis menstruationes adhuc usque regulares, abnormes ac parcae apparere coeperunt: usque dum postremo prorsus fere cessarunt. Ceteroquin puella graviditatem ei obiectam pernegabat, et magis magisque perspicuam alvi amplificationem assidue adstringendo ac coërcendo corpore dissimulare studebat. — Simul puella, quae olim optima utebatur valetudine quotidie sensim sensimque defecit, vultus, olim nil nisi hilaritatem laetitiamque ostendens, perpetuam fere accepit perturbationem, quum saepenumero vehemens ei ingrueret anxietas, quae interdum tantopere adaucta apparebat, ut aegra vitae taedio capta videretur.

Quod quum vexationem movere coepisset, medicus peritus consultus est, qui accuratius aegrae statum inquireret. Hic autem exploratione externa sane quidem destituenti impulsus puellam gravidam declarasse dicitur, secundum quam declarationem

puella in nosocomium caritatis Berolinense excepta est.

Venter in toto ambitu magnopere erat extensus, ac tumor externi abdominis tegumenti, ab umbilico duobus vix distans digitis, perspicue ante oculos venit, qui, si manum imponimus, reliquo abdominis tegumento multo durior, a loco suo aliorsum facile potuit removeri; tumoris tactus aegrae dolores nequaquam augere videbatur, sed multo magis de doloribus, in toto ventris circuitu pariter diffusis, ac potissimum de permagna conquerebatur anxietate, quae, ut opinor, nonnisi praegrandi isto tumore excitari potuerit.

Quamvis, exploratione externa facta, graviditatem puellae suspicari potuisses, quum prominentem tumorem foetus partem, caput forsam, haberes, haec tamen, exploratione interna facta, satis superque reprehensa est. Vagina tam arcta erat, ut digitum unum vix inducere, portionemque vaginalem uteri attrectare posses; deinde vero omnia defuerunt essentialia graviditatis signa; portio enim uteri vaginalis neque in brevius contracta erat, neque mollior evasit. Animadversa sunt porro graviora febris hecticae lentae symptomata, ita ut malus morbi exitus brevi imminens iure conjici potuerit. — Pulsus sanguinis modice acceleratus, contractus ac subdurus, calor solito non erat maior, respiratio autem multo citatior a modico motu; cutis arescens et

strigosa, eius ac scleroticae, praesertimque faciei color, quasi terreus et squallidus, facies ipsa valde emaciata, lingua et gustus etsi pura, cibi tamen desiderium exile, musculorum substantia valde languida, pedes frigescentes atque tumescentes.

Puella maxime dolenda in morbi decursu neque minimum quidem edere, neque in lectulo suo porrecta cubare poterat, quum tunc anxietas et dyspnoea adauctae essent; itaque in lectulo continuo se iactitans, mutando corporis situm levamen quaerebat, quod crebro in lecto sedens, aliquo modo adsequebatur. Facies, pectus et brachii, eo magis intabescebant, quo magis infima crura pedesque tumore aquoso tumescebant. — Tandem respiratione brevissima et ad suffocationem ipsam usque intensa, aegra, duobus vix post receptionem praeterlapsis diebus, e vivis excessit. —

Cadaveris Dissectio.

Abdominis musculis transversis incisis, aqua plurima turbida atque inodora erupit, qua exhausta, caussam cur ibi tumeret abdomen, esse, conspexi praegrande corpus, a quo imposita intestina sursum et deorsum compellerentur. Tendebat id corpus magis ad sinistram quam ad dextram cavi abdominis partem, et nil nisi ovarium sinistrum

erat, quod in tantam excreverat molem, ut, mortem puellae eam adduxisse facile credideris. Quum enim ingenti ista mole non solum assimilatio sed etiam respiratio summopere laesae essent, caussa febris hecticae, qua consumta est puella, cuilibet patescere debet. —

Sex fere librarum pondere, ovarii degenerati diameter perpendicularis decem pollices et diameter transversus octo pollices mensus est, ita ut tabula, in extrema dissertatiuncula affixa, quartam magnitudinis naturalis redderet partem. Erat id corpus superficie, aliis in locis tuberosa 1), aliis plana laevique 2), his nonnullae hydatides fabae magnitudine inhaeserunt. Tumor, si digitum imprimimus, aliis in locis ita erat intensus, ut digitus recelleret 3), aliis tamen praedurus 4); in his quoque tumoris color fuscus, in illis vero subpallidus erat. — Tunica eius externa densissima, partim fulgens, ita ut cum membrana aponeurotica, facile conferri possit. Quum tumor in superiori aliquo loco apertus esset, materia exprimebatur, quae cum sordido mista ichore, quod ad structuram et colorem, simillima erat substantiae cerebri corticalis, subdurae. Materiae istius odor neque fuit

---

1) Fig. b et c.
2) Fig. a.
3) Fig. a.
4) Fig. b.

foetidus, nec tuba proxima 1), hydatidibus nonnullis esti occupata, oblaesa esse videbatur. Ovarium dextrum 2), degenerationi haud inaequali obnoxium fuit, ita ut merito coniicere possis, hoc quoque, si longior puellae vita suppetiisset, multo exaggeratum iri.

Praeterea in peritonaei circuitu, praecipue vero in mesenterio, in omentis, deinde in pleurae ambitu; in mediastinis, in pericardio, quod ad substantiam, haud dissimiles occucurrere degenerationes, quae sive rarae erant sive in maiore conglobatae erant congerie 3).

---

1) Fig. f. f.
2) Fig. d.
3) Fig. i.

Explicatio tabulae.

abc) Ovarium sinistrum degeneratum.

d) Ovarium dextrum degeneratum.

e) Uterus.

ff) Tuba dextra et sinistra.

g) Vesica urinaria.

h) Intestinum rectum.

i) Omentum degeneratum.

Vitae curriculum
ex decreto
gratiosi medicorum ordinis adiectum.

Ego, Gustavus Fridericus Adolphus Spitta, die vicesimo secundo mensis Februarii, anno MDCCCVI. Berolini, patre optimo adhuc vivente, Augusto Spitta, matre carissima, e gente Krüger, quam nunc vero ex annis quatuordecim morte praematura mihi ereptam lugeo, natus, confessioni evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis instructus, duodecimo anno peracto, discipulorum numero Gymnasii Berolino-Coloniensis, directore Illustr. Bellermann florentis, adscriptus, ubi sex per annos in literas incubui, quae ad studia academica viam et sternunt et muniunt. A. MDCCCXXIV., Mense Martio in numerum alumnorum instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmani receptus, utriusque medicinae studio me tradidi, quo temporis spatio hisce interfui praelectionibus:

Cel. Wolf hodegeticen et logicen, Illustr. Link historiam naturalem et botanicen, Illustr. Lichtenstein, Zoologiam mihi tradiderunt. Illustr. Rudol-

phi de methodologia et encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia comparata, de anatomia organorum sensuum et de physiologia disserentem audivi. Osteologiae, splanchnologiae, syndesmologiae, anthropologiae forensis et artis, formulas medicinales concinnandi, praecepta accepi, ab Illustr. Knape. Eodem et Illustr. Rudolphi in arte, cadavera rite dissecandi, praeceptoribus gavisus sum. De physice, chemia et pharmacia Illustr. Hermbstaedt et Cel. Turte, de physiologia Cel. Eck, de materia medica, de opificum morbis et de fontibus medicatis Illustr. Osann, de arte, formulas medicas concinnandi Cel. Casper interfui scholis. Pathologia generali, et semiotice Illustr. Fr. Hufeland, therapia tum generali quam speciali. Perillustr. C. W. Hufeland et Illustr. Fr. Hufeland, pathologia speciali et morborum mentis nec non syphiliticorum Illustr. Horn me imbuerunt. Celsi de medicina libros, Cel. Hecker mihi exposuit. — Artem obstetriciam et fascias rite applicandi, chirurgiam generalem, et doctrinam de ossibus fractis et luxatis Illustr. Kluge, chirurgiam specialem Illustr. Rust et akiurgiam Illustr. triumviris de Gräfe, Rust et Kluge. Clinicum ophthalmiatrico-chirurgicum duce Illustr. de Graefe, clinicum chirurgico-ophthalmiatricum duce Illustr. Rust, policlinicum duce Illustr. Hufeland et Cel. Osann, clinicum medi-

cum duce Illustr. Neumann per unum semestre frequentavi. Studiis peractis, medici inferioris munere in nosocomio Caritatis Berolinensi per annum functus sum.

Iam vero tentaminibus, philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero, fore, ut dissertatione conscripta thesibusque rite defensis, summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

Quo facto, Herrnstadium, ad medici militaris suscipiendnm munus, me conferre jussus sum. —

Theses defendendae.

1) Nullum certum mortis signum nisi putredo.

2) Functio cutis in morbis multum respicienda.

3) Condylomata non inficiunt nisi exulcerata.

4) Inter arthritidem et rheumatismum maxima differentia.



a
h
b
e
f
d
i
c
g
f